FRANCISCI ALPHONSI DE DONNOLIS

PATRITII ILCINENSIS

AD SVAM MEDICINÆ CATHEDRAM

Prolusio.

ILLVSTRISS. AC GENEROSISS. PROSINDICIS

DOCENTIBVS

Atque in Almo Patauino Lyceo

ADDISCENTIBVS

Omnibus.

Habita Die Decembris 1682.

ILLVSTR.^MI SAPIENTISS.^MI
NOBILISS. D. D.

MOs erat apud Romanos quotannis, vt inquit Lipsius gladiatorio certamine Populo soluendi munus: nec mirum, si Ciuitas quæ potius Armorum vi quam Legum subsistebat, cædibus pasceret oculos, ac ferocissimas animas genialibus necibus demulceret. Patauium coæua Romæ Vrbs, non Thraces sed Athenas æmulata, Amphiteatrum quod habet Palladi sacrum est: vt nisi serijs Litterarum iocis populus eruditissimus recreetur. Hinc ipse in hanc arenam descensurus Proludium mearum agendarum rerum, tanto ac togato cætui dicare sum ausus; vt non solum Antiquorum more genio loci primiparum aliquid voueam: sed vobis omnibus munusculum saltem in addictissimi obsequij mei nodum committam. In hanc interim munere Principis adoptatus familiam: suadebor humanitate vestra non inuisis spectatoribus dimicare, dum conamur tenues grandia.

Patauij 14. Decembris 1682.

Deditiss. ac Obsequentiss.
Franciscus Alphonsus de Donnolis.

PROLVSIO.

SI vnquam me cępit admiratio, si vnquam animo mihi certandum fortuna proposuit (*Illustrissimi, atque Excellentissimi Proceres, Illustrissime, atque generosissime Prosindice, Patres huius Almi Lycæi Illustrissimi, atque Sapientissimi, Clarissimi, ac Nobilissimi Auditores*) nunc eò magis ambigimus, suspicamur, trepidamusque, cum non solum veluti homunculus ad Sapientis Conuiuium cum Platone: non solum vt Numeri, & fruges consumere nati cum Oratio: verum ipse, & tamquam Thersites in Heroum Concilio cum Homero affici verear. Theatrum enim, in quo figuram agere debeo, tam peruagum, tam in sublimi pòsitum est, vt non valeam vllius magnitudinis Sydus attingere, tantùm Planetarum Satelles. Vbi inter potentiam, & obiectum est proportio, omnis actio conficitur, si verò deest, cadit, & deluditur expectatio. Vnde Prolusioni meæ argumentum non proferam, quia sicuti albedo disgregat visum, sic & nitor tantorum Virorum disgregat intellectum, vt in orationem cohærere sit incompos. At non acephalus sermo est!

Quis enim prima facie non detegit Patauinam Vrbem inter Litterarios Orbes veluti firmamentum stare eminere ferrique? Orbemque magnum esse illum Copernici, circa quem tota Europæ Pallas euoluitur? Quod, si gentilitas dare Veneri proprium Cælum sitiuerit, Mineruæ vero fuerit dedignata, benè fecit! Siquidem alio Cælo non indigebat Numen illud, quod Athenis, immò Patauij colendum erat; quandoquidem gentem hanc Trojugenum traducem, si Mars à prima Patria deleuit, hic Pallas coluit, quæ in Ida decepta iurauit, donec Ilij consisteret non ingredi, dum autem in Adriam refugeret, consociari, adeòut quantum Bellona in Frigia amisisset, hic alterutra Minerua reparasset & loci genio hospitaretur. At si Plato in bello Atlantico tanti fecit suam Vrbem, tanti similiter, & Pausanias in Atticis; putà Pireo, Pritancis, Areopago? antiquitas, nobilitas, nomen, plausus Patauini Lycæi vndique per terrarum semitas isparsa Augustiorem

hanc

hanc Vrbem referunt, quantò Delphinis balena Brittanica maior, vel inter virgulta cupressus; quod si olim Anaxagoras Omnia Iouis plena recensuit & nos Omne Patauina Pallade afflatum! Immò si ad Titi Amphitheatrum videndum, spectandumque crinibus in nodum tortis ibant Sicambri, ad Antenoris Lycæum cultiores modò remotissimæ gentes accedunt, hoc maiori discrimine, quod illhuc ad neces, ad gimnicos transibant ludos, hic ad virtutem, melioremque vitam gradum faciunt. Eò magis, quod si nobilitas generis, non solum morem, sed officium suis quoque posteris exhibet priscorum virtutem æmulandi: inter has columnas Lectores assidui, inter has Porticus Doctores vmbratici non degeneres, priscorum procerum suorum, qui præsertim memoria, & atramento refulgent, viuuntq; fasces litterarios absoluunt, primæque magnitudinis sydera docendo veritatem Zodiacum, Eclypticamq; constituunt, per quam assiduò virtus peruagans omnem Orbē illustrat. At si fas esset à profanis ad sacros trāsire fastus quid, hæc? quid Antenoris miramur cineres? quid rerum Romanarum coæuitatem? si ab ipsius terræ finibus sphæram hanc in Epicyclum sibi Diuus elegit Antonius, vt ostenderet, hanc Vrbem habere Sapientiam cum pietate copulatam, & tanto funere dignam.

Verùm si Cæli proprijs innituntur cardinibus, quo Numine? quo cardine tota hæc moles regetur? Non Numinibus quidem Homericis, quia nugæ; non polis, non axibus astronomicis, quia Ideæ? A te igitur, & per te Serenissima, Inuictissimaque Venetorum Respublica, quæ totū Orbem regere merereris hoc boni, hoc commodi dignoscendum; quod cum sis prò populis tuis sollicitissima, hoc adhuc agis, quod dum indigenis benefacis, alienigenæ quoque gentes beneficia suscipiant, ac per liberalissimam munificentiam tuam, dum subsistunt suis artes, fiut toto Orbi communes; & eo modo, quo Aristoteles contra Platonem vrgebat, primam caulam, veluti perfectissimam, perfectissimos quoque sibi similes agere effectus, vt ob id non indiguerit Archetypo prò mundi fabrica; sic, & tu semper tibi similis, semper tibi æqualis, nec à te ipsa vnquam deficiens; naturali, insitaque magnificentia, qua duceris, velis bello, velis pace, velis terra, marique sacris, vel profanis fastubus, gesta agis, quæ regium semper, magnificum, ac

 nobi-

nobilissimum redolent; quia; & tu absque alio Cinea magis Ciuitas Regum es; vt idcircò quantum vbique armorum apparatu; hic & in litteraria palestra cætera Licęa pręcellere volueris, quantum aliorum Cæsarum, Marcelli, vel Pompei Magni theatra deuicit Titi moles: vt & nos ad te, (sicuti Martialis ad suum Cæsarem) proludere possimus, & dicere: *Vnum prò cunctis, fama loquatur opus, & fiunt te Præside Marce, Delitiæ populi, quæ fuerant Domini.*

Valeat hoc in loco Problema illud, quidquid sit, num ab Accademicis, vel Politicis desumptum, in medium afferre; videlicet, Num melius, vel deterius sine litteris, vel cum litteris mundus degat? eò magis quo frequentissime per iocum, Dionysius subsannabat Philosophos tanquam inutiles! Ipse autem eius sententiæ sum (quamuis præter Platonis responsum, sat esset Dionysijs Antistenis legationem ad Alexandrum opponere) fælicissimos tunc esse homines, cum ad quodlibet sibi possibile obiectum animam transferunt, & à potentijs tanquam à centro ad quascumq; honestissimas obiectorum species, veluti ad circūferentiam spiritus deducunt, nè frustraneæ videantur, & actum omnem adimpleant. At cum fęlicitas sine sapientia, rerumque cognitione, vt annuit Plato in Euthidemo, stare nequeat: hinc est, quod Serenis. hæc Respublica, vt populos suos redderet ex omni parte beatos; hac celeberrima Accademia veluti in Delta Nilus animos irrigando felicitet: vt Antoninus ille pius Imperator cuicunque Vrbi Oratores, Philosophos morales, & Medicos instituit, vt meliori vita fruerentur; eodem modo, quo non sola segete, verum & pomarijs quoque venustatus Ager vberior apparet. Scio per plura sæcula, & forsan donec ad virilitatem non peruenerit sine litteris egisse mundum! & datur etiam adhuc plurima pars, quod ab eijsdem abhorreat; vnde dicat aliquis, Armis tantum, mercatura, Agrorum cultura, demum, & Numularia fidentius subsistere? fatemur, & nos; sed degere illos sine litteris, veluti eos, qui aliqua parte mutili vegetiorem quidem calorem habent, aberrare tamen, quia vsu partis illius orbati nequeunt operationibus suis complementum afferre, per quas à natura, à Deo, ab Hominibus in esse perfecto iudicamur; Hanc perfectionem educimus è poten-

tia

tia rationali mediantibus habitibus intellectus, qui à bono, & optimo Principe nobis impertiuntur Vniuersitatum subsistentia; vnde post Gothorum expulsionem ab humanioribus Principibus in Italia fuerunt excultæ. Sic non sat erat prò Populorum Venetorum felicitate, tutæ, & facultates! tutæ, & personæ! tutum, & decus! non sat fuere legum Sanctarum præscriptiones! non Vrbis delitiæ! non Magnatum, non Procerum comitas! non ad Principem familiarem! non ad Magistratus paratos accedere! nisi adhuc Serenissima hæc Respubl. summam omnium fælicitatum Patauino Licæo ministraret; Quod quidem non solum Principi dulce, quia iucundius est eruditis, quàm rudibus populis dominari: vnde Osiris Ægyptum, nec non Mercurius; ac Iarcas Indos edocebant; Non solum Regno vtile, quià vt (dicebat Plato in Republica intemperantia, & morbis in Ciuitate multiplicatis Medicis, & legibus, indigemus. Verum & honestissimum est, siquidem ad eius auscultationem, & vltrà Sauromatæ, & mediterraneæ gentes adeuntes, nitorem, ac magnificentiam huius Sapientissimæ Reipublicæ per totum Orbem propagant, & in hoc (præter cætera infinita priscis Romanis Serenifs. hæc Respublica præcellens est) quod ipsi debebant prò se se imbuendis, & Rhodon, & Athenas, & Epidaurum in aliena castra migrare; hi verò à suis castris, aliena virtute non indigentes, propriam effudunt: & Mineruam iam vndique exultantem, decedentemque suo in vertice sist at, ac venerantur. Quam laudem, quod gloriæ genus, quamuis fastigiatus ille Orator Nouocomensis in Traianum vndique deunctum, ac oblinitum excogitauerit; in hoc tamen vicimus; quod ille nouam, & actum vnicum virtutis; hi antiquatam possident, & in habitu.

Illud interim silentio prætereundum non est, quod sicuti Acrisius Delphi Oraculo, vt ait Strabo, Magistratus Amphittionum Curatores nempè ex Primoribus Argiuorum instituit, vt maiori vigilantia fulciretur; sic & Serenissimus hic Princeps hisce Oraculis, amplissimos Moderatores decreuit, vt tanquam intelligentiæ motrices proprio afflatu informarent. In vos igitur Illustrissimi, atque Excellentissimi Conscripti Patres, quamuis absentes valeat mea vota referre, qui me ad hanc fortunam euexistis, & alij quo-

que, qui eritis profecturi; nam sicuti Deus humilia respicit, erigit elisos, custodit aduenam; Vos quoque mihi semper Dij me respexistis, me erexistis, me in hanc arenam eduxistis, vt si liceret, mecum Lyrico lætari, dicerem ego vobis, quid ipse canebat Melpomeni; *Si monstror digitis prætereuntium, quid spiro & placeo, si placeo tuum est* ? Det interim intellectus quid estuat voluntas, ne in hac nobilissima Accademia ignobilem me non præbeam; & sicuti Rases scribebat, vt Almansori Regi suo placeret; vtinam & ipse benè agam, vt munificentissimo huic Principi (meo Numini) optimè inseruiam; Ac si pænituit Deum quondam se fecisse hominem, non pæniteat & ipsum me ad convulsa hæc marmora eleuasse, ne sub humanissimo, pientissimoque Principe mihi sim in Boue Perillus. Tedet me non acutissimi Capiuaccei profunditatem, non accuratissimi Saxoniæ robur, non expertissimi Siluatici Saleque prudentiam attingere; Ipsi enim quondam huius Almi Lycæi Apollines, suos Penthatlos gestauere quibus Circus hic quoque maximus suas Phaleras triumphales adauxit. ipse dicam de me, quid de se dicebat Oratius comparatus ad Pindarum: *Ego Apis Matinæ per laborem thima reuoluam*; prò viribus autem conabor, quod vbi deficit habitus, reparet promptitudo.

Verùm enim verò, cum apud antiqnos philosophantes variæ fuerint docendi instituta, vt sagacitate impar, testas semel adhuc imbutas, nouis initiaturis relauauerit Aristippus; ipse tria tantùm mihi proponam, per quæ docentis integritatem omnem absoluam: & quamuis septem illa in Addiscente desiderauerit Hippocrates, vt totidem in docente requ iri authument; Res tamen, Modus, & Finis, liberalissima mihi videntur vt non solùm physica, sed Moralis quoque perfectio adimpleatur.

Res igitur est Medicina, Rationalis nempè, & Methodica, de qua licet nonnullos libellos scripserit Hippocrates, vt pleniorem de ea fidem faceret, nihilominùs in libro de flatibus ab initio hæc protulit, *Ægrotantes Artis beneficio à maximis malis liberantur, à morbis, à doloribus à tristitia, à morte*, & Galenus ad Glauconem dixit: *Si quis indicationes per diuisionem haurierit, is solus quantum humanis permittitur viribus, medendo non errabit*. Hæc est illa om-

omnium Artium, vt ipsi dicebant, præstantissima, in quam licet veluti Caprificus, vel fermentum vetus eruperit Plinius; velit nolit, à Dijs est! & modò ab hoc auspicatissimo Archi Gymnasio tamquam à Faro illo mirabili Ægypti, vel ab aureo Talethis tripode vndique coruscat, vt totius Europæ Iatricæ sit præsidium, & decus. Hæc est illa, quam nos in Iusiurandum profiteri, & docere tenemur, & quia Theorica est nobis auspicanda, illa tantum vtar, quæ veluti præmissæ ad conclusionem, rationalem medicinam concludit ab Aristocratie nostræ Dictatoribus, Hippocrate nempe, Galeno & Auicenna desumpta, & in Aula Medicinæ Principum per Praxim firmata: adeòut, his semper addictus, Nouatorum Circes ac Sirtes abluens, malim, vt dicebat Cicero, cum Platone errare, quàm cæteris Philosophis assentiri, cum nil certius ignorantiæ principium sit, quàm Veterum sententias improbare, & eas non assequi; vnde magnus ille vester Capiuaccius in curatione de Artithide quærebatur, etiam tunc temporis rebelles morbos non curari, quia remedijs Antiquorum non vtebantur.

Scio plurimos, vel facilitate, vel luxu ingenij ductos, non quò eundum, sed quò itur moueri, ac per opinionum flores vagantes, non Apes, sed Fucos reuerti, & eo modo, cum Iuvenali, quo populus esclamat Osiri inuento, vel *Oppida tota Canem venerantur, nemo Dianam* sic interdum nouitate Theorematum oblectati oblitterantur; vnde miror, si ab Aquilone, ac à Transalpinis omnibus plagis, more aquarum à Polo subtus irruentium, vt habebat Plato in Phedone, ita & ad nos noua aliqua ingruat opinio: nō videmur Medici, non Thriarij, non palestritæ vnquam, si illud noui tamquam ab Africa in nobis non suscipientes, non sumus ad ostentationem solliciti: quasi Italica ingenia sint tantùm ad exterorum leges recipiendas, non autem ad committendas deducta. Non inficior, quòd in aliena castra, si quis optet, adeat; adeat quantumlibet, non vt transfuga, sed cum Seneca, vt explorator; & meminisse liceat dixisse Hippocratem in libro de Præceptionibus opportere addere experientiæ rationem, non rationi experientiam; & Galenum contra Licum, non aberrandum esse à primis Auctoribus, nec contra eos insistendum, nisi prius, non per

apicem,

apicem, & carptim, sed radicitùs eorum doctrinas possideamus; ob id non temerè admittenda noua Placita, nè ab Hippocrate diffidentiæ, & à Plinio inconstantiæ redarguamur; præterquamquod flosculа Nouatorum ipse iudicauerim semper, aptiora potius ad Simposium, ad Conuiuium, quàm ad Medelam, Oxigara, non dapes. In speculatiuis habitibus trahat sua quemque voluptas, quia sensum tactus non offendunt, & verbis tantum rerum moles regit sagacitas; at in practicis vbi vsus tenetur plura docere, præsertim in Medicina, quia in viuentibus moratur, & dirigitur scientia, vbi irreuocabilia ferè iudicia sunt; non est genio indulgendum, sed veritati; vt non solùm ea, quæ aguntur, sed quæ quoq; dicuntur, cum Hippoc. in Prenotion. ac 1. de morb. pari lance scientia, ac prudentia sint libranda; adeout tantæ curæ fuerit Hippocrati hæc prudentia, vt Medicum prudentem in lib. de Decenti ornatu non absimilem Deo constituerit; & ob id iure meritò Medici illi prisci Romanorum, quia medendi methodum non callebant, quia artem quotidie mutabant, ab Vrbe fuerunt euulsi. O vtinam pulcherrima ingenia non in Neoterica, sed in antiquata, tantùm calefierent; Quandoquidem Ars ab Hæresi expurgata, quò ægrotis vtilior, eò medentibus honestior euaderet. Si quidem non rarò eam profitentes vel ambiguitate doctrinæ, iurgio, ac animi iactantia conuitijs alterutris deturpati, cum Hippocrate ad Sophocli, vel Euripidis familiam, potius rediguntur, quàm ad Asclepidarum propaginem: At si Horatius in bellum ciuile declamans lacrymabatur, Viros illos illustres contra se ferrum acuisse, quò Persæ, grauius perirent: ipse quoque nunc defleo illustrium ingeniorum solertiam, quæ ab vberibus solidæ Medicinę enacta diuelluntur, vt lac, quod ex iis suxere in matrem respuant, & tamquam nascentes viperæ dilanient: quod è conuerso si totamentium vis in methodicam conuenisset, macte nunc temporis, & ipsa vt Pictura, vt Oratoria cum Petronio euasisset compendiaria.

At quia videor forsan à Nouatoribus acrius recedere, nec in recentiora conuenire, posset aliquis dubitare dicereque; quænam nos cogit necessitas, quænam lex, quænam ratio, Antiquioribus Scriptoribus semper credendi, vt assiduò sit in eorum verba iuran-

randum? Præterquamquod Globus Terraqueus, Novum Orbem, plagam torridam habitabilem Æthereus noua sydera: noua dat Planetarum Phenomena? Ac si Pancratia Neotericorum volutaremur, vti Plato ad Italos, ad Ægyptios, vti Galenus Romam, Samum peruagabantur; nos quoque in physicis omnibus digito scalparemus inuenta, quorum iam exturbat sonus: vt his non indignaremur præbere fidem, & laticlauijs Reipublicæ litterariæ benemeritos condecorare.

Vt his omnibus Auditores præstantissimi satisfaciamus, nos primò transferre debemus ad Platonem in Dialogo de Regno, in quo differens de Saturni Regimine (quod apud nos esset prima illa aurea Mundi ætas, in qua totus Orbis sine labore saturabatur) de qua reponens Iuvenalis dicebat.

Credo pudicitiam Saturno Rege moratam
In terris, visamque diù, cum frigida paruas
Preberet spelunca domos, ignemque, laremque
Et pecus, & dominos communi clauderet vmbra.

In qua denique vnusquisque mortalium ab innocentia, tamquam ab intelligentia non errante ductus erat, dixit, quadam Mundi reuolutione, concussioneque decedente Saturno, (liceat interim hic acquiescere nec profundius excogitare) Homines in deteriorem statum venisse, vt prò eorum subsistentia necessaria foret industria; qua de re commiseratus Deus eorum egestatibus, rerum cognitionem, scientiarumque lumina indidit, vt ex se sibi ipsis opitularentur. Hinc factum est, quod illi, qui primi scientiarum semina prodidere (donec alii perfecerint) prò veracioribus sint habiti, tamquam afflatu quodam Diuino loquuti non Scholarum Protheis, non Scriptorum polipis, ac dissentione revulsi; eodem modo, quo aquæ thermales si à surgenti bibantur, salubriores euadunt, quàm translatæ, & concussæ. Ad quam veritatem respiciens Rales in suo Introductorio Opusculo ad Medicinam dixit: *Creator excelsus, & gloriosus prodire fecit res ex priuatione ad descriptionem, & ex ignorantia belluina ad intellectum.* Prætec quamquod veteres Scriptores, qui adhuc stant, qui adhuc vivunt; vivunt quoque & regnant, quia tineas, obliuionemque hominum, & temporis vicerunt, quod est vnicus authoritatis cha-

racter,

racter, ac veluti Naues onerariæ, ac Rhodienses, merce plenæ ab Acroceraunijs euasæ scopulis, ac à Cilicum Piratis tandem appulsæ, à Recentioribus tamquam à Cimbulis occurrentibus in annonam exonerantur. Qua de re præstantissimus sui eui Medicorum Capiuaccius, nec Fernelij, nec magnorum aliorum Virorum admisit placita, ne Patauina dogmata ablegarentur.

Prout verò spectat ad ea, quæ forsan cum Seneca inuenta sunt & inuenienda quæruntur; eliciam cum Platone in Theetheto, & cum Hippocrate in Lege: in rebus rationabilibus, ea quæ introducuntur, vel venari per scientiam vel per opinionem; quæ per scientiam venantur, stare, quia ijsdem principijs intercurrunt à quibus solida fundamenta suscepere. At è contra quæ per opinionem: omninò recipienda non sunt, quia cum Hippocrate pariunt ignorantiam; eò magis si Nero Romam flammis euertere meditatus est, vt Neroniam suo nomine restitueret; ac in ipsa superuiueret; sic vnusquisque elatione, ac animi sagacitate potius quam virtute motus, posset antiqua placita conterere, vt suos videat in marmore titulos, sicuti de Tessali monumẽto, in Appia via, iam perlegimus; & sic quantùm intellectu fallax, tantumdem voluntatis crimine negligendus accederet. Hinc vt ab hac insania præseruaretur, prudentissime Crisippus pridiè quàm disputatum iret, Helleboro purgabatur, ne atrabile perturbatus, ac praua aliqua Synderesi inficeret intellectum, sed tantùm veritatis piaculo disceptaret: & in hoc à Laertio conuitiatus est Plato, quia libros omnes ac Diascomum magnum Democriti comburi studuit, vt proprijs tantumlibris superstitibus solus veneraretur.

Verùm nè in æquiuoco laboremus, valeat ex Antiquis exempla aliqua afferre (cum de Recentioribus differendi, nec tempus, nec in præsens moueat occasio) per quæ artis fucus, nec nè, detegere possimus; & ad quid tenemur insudare, si prò bono publico aliquid sit elaborandum de nouo; Herophilus multo tempore antè Galenum introduxit in Arte, pulsuum dignotionem, & Decubitum Astrologicum. Hæc duo non euertunt medicinam; Sed quantum primo reddidit perfectiorem, & excoluit; secundo magis est ornatus, quia absque primorum dogmatum interitu, elegantiorem confecit, & hoc est ditare scientias, augere, ampliare,

vt

vt sentiebat Plato; quia ex eodem germine suos habitus vegetus Intellectus effundit, & tamquam planta in solo vberrimo distenditur, absque eò quod euellatur. E conuerso cum Asclepiade Pharmaca deludere, Dieta tantùm mederi, cum Erasistrato sanguinis missionem improbare: his est euertere Medicinam, quia hæc omnia alienissima sunt ab Hippocratis, Galenique, ac ab aliorum Principum Dogmatibus; actamen si temerè fieret aliquis de nouo harum rerum Auctor, ab omnibus vtique reciperetur, sicuti de Asclepiade dicebat Plinius. *Fauentibus cunctis, vt essent vera, quæ facillima erant vniuersum propè genus circumegit in se, non alio modo quàm si Cælo missus aduenisset*. Vnde sicuti se gloriabatur Galenus 2. de Crisibus, adeò prò veritate theorematum Artis insudasse, vt nobis ex integro sit acquiescendum; acquiescamus; quandoquidem, vt ipse alio in loco dicebat, Divum Traianum semitas inextricabiles reddendo peruias Europam peruagabilem reddidisse: Sic, & ipsum Hippocratis medicinam ità collimasse, vt duxerit ad Vmbilicum. Immò cum semper nouitatis aliquid, & modum, Scriptorum placitis addat posteritas: satius est cum Aristotele (qui, nè daretur processus causarum in infinitum, vnam primam causam decreuit) & nos Hippocrati tamquàm Artico, Galeno tamquam Antartico inniti, vt classem nostram Argolicam certo ordine euoluamus.

Nobis igitur studendum remanet eo modo, quo Aurifices non conterunt adamantes, sed in consuetudinem colligant, & expoliunt; vel eodem, quo in monetarijs ædibus non corrumpitur aurum, sed perficitur, vt currentia magis numismata excudãtur; sic & nos antiquorũ habitibus adamussim induti curare debemus vsum artis reddere paratiorem, faciliorem, genio, comitati, ac consuetudini concinnare! vt de tempore in tempus à Practicis omnieffectum est; & si quid in Tehoria aliquid vel ruditatis, vel diffidentiæ, vel difficultatis intercidat, cum Platone in Philebo quærere, sed quærere per eamdem viam, quia hoc modo inuenitur, scitur absque medentis inconstantia. Scimus sub Troiæ mænibus quale medicamentum Pandaro fuerit propinatum à Podalirio; scimus quale à Philippo Alexandro; scimus quale à Galeno Antonino; vt succedentibus seculis ad potiones venustissimas clarificatas

ficatas venti simus; adcò vt non remaneat aliud nobis meditandum, quàm illud Tutò, illud Citò, illud Iucundè mederi à Cælo antiquitùs emanatum. Qua de re Diuinus Hippocrates detegens hęc omnia, quæ innouanda ac possibilia erant in Arte; quantum ad cætum nostrum attinet in lib. de Veteri medicina declamabat his verbis: *Medicina iam ab antiquo existit, & principium, & via inuenta, per qua inuenta & multa, & probè habentia comperta sunt, per multum adeò tempus, & reliqua deinceps inuenientur, si quis idoneus sit, & inuentorum guarus, ex his ad perquirendum procedat. Quicumque verò his reiectis, ac omnibus reprobatis alia via, aliaque forma inquirere conatur, & quid inuenisse gloriatur, falsus est, & fallitur; impossibile enim id est.*

Oro vos, amabo vos Auditores humanissimi, non suscepisse hec à Censore, sed ab Aruspice, Zelo tantùm mei muneris motus, non audacia; vt ob id non eritis modò in me iniecturi, Ironicum illud Iuven. *Tertius è Cælo cecidit Cato*; quandoquidem cum libellum iam Hippocratis de Aere, Aquis, & Locis fuerim multoties peregrinatus, cum Pitagora *nec Iugum, nec Stateram transiliam*: immò *ad Solem versus, non loquar*.

Cæterum quoad docendi modum; & finem sicuti Hippocrates in libro de natura hominis fassus est, se abstinere velle ab hiis, quæ in sublimi fiunt, & à cæteris, quæ magis picturæ, quàm Arti conuenire videntur: ipse quoque ab omnibus, quæ in capescendis Medicinæ paludamentis non conferunt, abstinebo; Ac simus in viridi, simus in arido, nil præter Facile, nil præter Vtile erit nobis excogitandum, ac omninò à mellitis verborum grobulis alieni, in solidam tantùm laborabimus disciplinam.

Vobis intereà Proceres Illustriss. atque Excellentiss. Cæli huius, Emispheri huius Coluri, in quibus Sol Iustitiæ, nec citrà, nec vltrà perambulat, humillimas reddo grates, quia verborum meorum interstitio morati fuistis ab opere, quod patratis; non dixi vos requieuisse; quia proculdubio auribus vestris laborem intuli; quandoquidem & si à phide Theia vehatur nil præter vocem Cicada. At vti dicunt, quod si momento temporis Primus Motor à suo munere otiaretur, mundi moles corrueret; confundor per horam hanc vos vestros reliquisse cardines, nè meis verbis rerum

series

feries inter labatur, quoniam & vos hic Dii estis.

Similiter Illustriss. ac Generosiss. Vice Sindice, qui tribunitiam potestatem litterariam agis, qui veluti Planeta inter Astra minora discurris, & fulgore preestas, multum tibi debemus, quia accessum nostrum tuo intuitu decorare dignatus es. Et sicuti Sol inter Nubes fundit Iridem, inter rimulas congregat Athomos, sic tu dũ longanimitate cœtum permulces etherogeneas componis animas. O vtinam à timore nocturno, à sagitta volante in tenebris milites Palladis auerteres, & tuo Numini Bellona interrogatrix cum noctiuago Marte taceret; sic Noctuæ Athenarum Vigiles non lugerent; sic Impostura illa in Cebetis tabula depicta non discriminaret Ægidam venerandam Mineruæ, sacram Hastam, nitidumque Persei Vmbonem, hisce eruditis excubiis ad tormenta popularia defecisse.

Me piget adhuc Illustriss. atque Sapientiss. huius Almi Lycæi Patres tæduisse; siquidem Sapientum Cænis, Atticisque bellariis iugiter assueti: non extraneum mihi videbitur, si Cinicam hanc patinam fastidiuerint. Mementote autem, robustissimos Athletas etiam in ingressu indiguisse Lanistis, & quamuis à Vegetio milites generosissimi legerentur, non statim ad Triharios, sed ad Tyrones prius esse peruagatos. Quòd si vobis ad hanc Aram pallere videar; Oro Vos dissuetudini, ingeniique mei imbecillitati indulgere, vt non minus habitibus litterarum, quàm morum, Vobis deuictus adstringar.

Vos denique Clarissimi ac Nobilissimi Auditores, qui veluti Argonautæ ad Virtutis Vellus festinatis, miror, quomodo in me tamquam in torpedinem incidistis! Lætor tamen, non sesamo, ac papauere sparsa vos esse collecturos, si hortulum meum, non marmoreum quidem Lucani, non Senecæ prediuitis, non Hecatonis profusissimum: sed lassi iam fatigatiq; Cleantis frequentare non dedignemini. O quam mihi gaudeo, Nobiliss. Iuvenes (vel sitis ad Iurisprudentiam, vel ad sacras Esculapii Edes, vel ad qualcumque alias Artes ituri) vos characteribus iisdem detegere imbutos, quos desiderabat Plato in Republica ad adipiscendam virtutem; vos enim libertate, vos Indole, vos moribus generosis; sed adhuc cum Horatio mentibus asperioribus firmitatis studijs: iàm Olim-

picum

pſcum meditamini puluerem, iam ſublimi ferire vertice Sydera cogitatis; ac laboribus cedere neſcii, cum eodem Platone conſtantiſsimam ſenectutis conficitis baſim; quandoquidem vt, & alibi ipſe ab Heſiodo eſcipiebat; *Aſſiduè addiſcenti multa ſenectus venit*: Scio veritatem hanc vos agnoſcere, quod illi eſtis (quantum ad rem pertinet litterariam) qui vel malitis in Aula, malitis in Foro, malitis ſanis, vel ægrotantibus hominibus, quod ſummam rerum omnium, & Vitæ, & mortis eritis directuri. Vt ob id cupiditate gloriç affecti, ſicuti prò bono publico Curtius in Voraginem; ita & vos prò vtilitate humanæ Reipublicæ, in ſcientiarum profunditatem fore immerſuros.

Si quid interim luſit Anacreon cum ſuo cupidine! ſi quid ſeriatus eſt cum ſua Matrona Boetius! iuvet me Higeæ, Panaceæque iam accedentibus occurrere, obſecrarique; Si Dii cum Seneca facientes adiuvant, ipſos & dicentibus adiuviſſe.

DIXI.

Patauij, Typis Petri Mariæ Frambotti. 1682.
Superiorum permiſſu.